

1983-12-07 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Ex Quo’**IOANNES PAULUS PP. II****LITTERAE APOSTOLICAE*****EX QUO*****DELEGATIO APOSTOLICA LAOSIANA CONSTITUITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Ex quo Dei consilio beatissimo Petro, Apostolorum Principi, in regimen totius Ecclesiae successimus, omni profecto diligentia studemus, ut ea adducantur ad exitum proposita, quae ad christianorum fidelium supernam procurandam utilitatem conducant. Libenti igitur animo sententiam accipiendam esse censuimus Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione, quae ut in Republica Democratica Populari Laosiana propria formaretur Delegatio Apostolica proposuit, qua satius bono spirituali animarum consuleretur; etenim per Decretum die decimo mensis Februarii editum, anno MCMLXIV, nomini Delegationis Apostolicae tunc dictae «in Thailandia et Paeninsula Malacensi» adjuncta fuit denominatio in «Laos», quae firma exstitit etiam post mutatum nomen eiusdem Delegationis, et usque ad hodiernum diem appellabatur *in «Laos» et in «Malaysia» Delegatio*. Quapropter Nos, certa scientia ac matura deliberatione, omnibus perpensis et auditis iis quorum interest, harum Litterarum Apostolicarum vi, *Delegationem Apostolicam Laosianam* constituimus, eidemque omnia et singula deferimus iura, privilegia, honores et praerogativas, quae solent huiusmodi Legationibus conferri. Decernimus praeterea, ut conditae Delegationis Apostolicae sedes in civitate Bankokensi maneat nisi posthac aliter caveatur. Quae vero per praesentes Litteras Apostolicas statuimus firma sint omnino nunc et in posterum, vimque suam habeant, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Decembris, anno MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*